

et in studiis ad perfectiora assequenda quos pertinet sollerter incitabuntur. Sciant, enim omnes Pastores, Parentes, ludimagistri omni arte nec sine gravi conscientiae officio providendum esse, ut scholae catholicae non qualescumque sint, sed bonae, immo et optimae, efficaces, *publicis haud inferiores*¹. *Scholas, enim, catholicorum, rectum est cum florentissimis quibuscumque, de cultura ingeniorum, de litterarum laude posse contendere*².

d) Si hae Institutiones adeo constituentur ac regantur ut, sub religionis tuendae praetextu, non christianam tantum observantiam, sed et unius alteriusve politicae partis studia excolantur, quale et quantum primae detrimentum afferri possit, in comperto est. Heic, igitur, quoque, dum omnium cum sit Pastor, adeo omnibus, dum licet, ipse inserviat ut, caritatis affectu, omnes ad Christum trahat, eique indissolubili devinciat nexu. Persaepe, enim, quos politica dividit, religio nectit.

473. — Hisce praehabitis, [quae temporibus praesertim nostris] iuventutis Institutiones peculiariter condendae tutamdaeque sint imnuere praestabit, nimirum:

a) Scholae liberae [uti aiunt] primas inibi partes obtinent; quae episcopales, vel paroeciales esse possunt, in quibus [ne incriminationis locum sit] Status leges quoad ipsas fideliter servatas, tum mentis, tum cordis iuvenili institutioni, Ecclesiae iuxta placita, studeatur. *Providete* [Leo f. r. XIII, monebat] *ut nusquam scholae desint in quibus notitia bonorum coelestium officiorumque erga Deum diligentissime alumni imbuantur, et discant penitus Ecclesiam cognoscere, idemque dicto esse audientes, usque adeo intelligant et sentiant omnes labores eius causa patibiles putandos*³. Normas ad rem peculiare diversarum Gentium leges dicent; hoc unum, igitur, animadvertendum, nimirum, ne adeo oscitanter [ne dicam inepte] iuventutis institutio excolatur ut [impensis Ecclesiae] potiusquam eius devoti filii, hostes vel ad minimum indifferentes homines comparentur, quod recoluisse haud erit vanum! Foetidissima, enim, ac dira indifferentismi lues quam [plus minusve] ubique grassari conspicimus, ab Ecclesia ipsa, a suis, nimirum, Levitis quoquomodo augeri periniquum esse concedent omnes libenter. Tales igitur, iuxta Ecclesiae mentem, scholae esse debent ut catholicorum puerorum eas adeuntium fides moresque nedum detrimentum patiantur, vim novam accipiant. Sint eadem puri fontis veri et honesti:

¹ Instruct. S. Offic. 24 nov. 1875.

² Leo XII, encycl. *Affari vos cit.*

³ Encycl. *Nobilissima Gallorum gens,*

8 febr. 1884. — Cfr. *Affari vos cit.*

sit doctrina in eis tradita non generice tantum religiosa, sed catholicae fidei proprius consentanea; sit tota studiorum ratio [ut vult Leo f. r. XIII¹], catholicorum puerorum necessitatibus accommodata; sint magistri catholici, libri autem quibus alumni utuntur ab Ordinariis adprobati; nihil, tandem, sive in disciplina, sive in condiscipulorum familiaritate reperiatur ex quo puerorum innocentia morumque integritas laedi possit. — Ad novos vero admittendos alumnos quanta cum cautela agendum sit clare patet, ac quantum praesertim acatholici circumspecte adsciscendi retinendive sint, pluries S. C. Officii memorata est².

b) Opera postscholastica [*patronatus, repetitiones, scholae serales, coloniae scholasticae* et similia quibus, iuventuti Gubernii scholas frequentanti praecipue subvenitur] sedulas boni Pastoris curas postulant, ut per quantum licet, neutrae [seu verius atheae] eorum institutioni, sub scientiae colendae praetextu [quadam saltem ratione], occurratur.

c) Oratoria [uti aiunt] festiva, in quibus magni illi Philippi Nerii Urbis Apostoli sub auspiciis, christiana coadunatur iuventus, quo, dum per vicos ac plateas eius periculi plena evagatio arcetur, eiusque animae bono recte consulitur, et parvis in oppidis constituere apteque regere numquam satis suadebitur. Cum vero ad rem normae notissimae sint, et eas heic indigitare supervacaneum esset, ad meliores abundantioresque fontes ex quibus ad rem perquam salutaria ac aptissima monumenta hauriet, Pastorem remittimus³.

d) Recreatoria illa quae ab hodierna [semper profana ac saepe sectaria] philanthropia, sacra adversus Oratoria, complurimis in locis constitui solent, ubi haec postrema haberi nequeant, ut aliqua, dum licet, ratione, iuventuti christianae consulatur, haud negligenda sunt. Interdum, enim, qui *Oratorio* nomen reformidantes haud accedunt, *Recreatorium* laetanter petunt. Ne vero profanorum mores ac studia inibi habeantur, tantae evidendae res est, ut de ea plura fari minime expediat.

e) Consociationes quoque illas omnes, quibus, dum sanitatis curae ac physicis operibus [*sport*] indulgetur, et spirituali iuventutis bono consulitur, constituere ac adiuvere decet. Quod SS. D. N. Pius PP. X

¹ Enc. *Militantis Ecclesiae*, 1 aug. 1897.

² 1 jun. 1886 — Cfr. eiusd. 24 nov. 1825, 8 mart. 1882, 11 jun. 1866, 6 dec. 1899.

³ Cfr. Cottinelli, *Manuale per Verezione dell' Oratorio Festivo*, Brescia, Tip. Queriniana, 1901; *Deliberat. Episcop. Longobard.* 1895, 1902, 1905.

apostolico suo exemplo commendavit, qui [paucis abhinc annis] Vaticanas aedes horum Associationum congressui patefecit, ubi, maxima cum christiana laetitia, ac exultantibus omnibus, gymnicos ludos Ipse praemio cohonestavit. Nam [meminerit Pastor], media omnia quibus iuventus allicitur et afficitur, dummodo honesta, Ecclesiae adversariis omnino dimittere, grave detrimentum, necnon dedecus censi debet. — Sed, ne sub Ecclesiae vexillo, sancta eius, immo et divina, praecepta posthabeantur, quae de harum Societatum peregrinationibus alibi diximus¹, prae oculis habeantur semper.

f) Cuiuscumque generis ac ordinis Catholicae Juventutis Consoziationes² [quarum quaedam inferius recolendae] ubi, tum mediarum, tum superiorum scholarum alumni, necnon et hi qui [ullo absque respectu humano] operosa in fide, tum privatim, tum publice Ecclesiae principia, verbo et maxime vita, asserunt vindicantque, eiusque sacrosancta iura tuentur, in urbibus constituere complurimum iuvabit. Hac ratione, fortes in fide, falsis doctrinis immunes, et cum Ecclesiae ac de ipsa viventes, a societatis contagiis facilius immunes servantur³. — At heic quoque plura ac gravia obstacula devitanda sunt: nam, si quis in politicantium, pusillanimatorum, indifferentium, rumorosi apparatus, profanarum rerum ac licentiae [ne dicam modernismi et turpiloquio] conventus, has Consoziationes immutaret, Ecclesiae menti haud profecto studeret. Sed cum has Sodalitates constituere ac invigilare Ordinarii sit, ne quos tantum disci oportet eos docere videamur, venerationis causa, coetera praeterimus.

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Peregrinationes*, et pag. 484.

² Cfr. Pius IX, Breve, *Dum filii*, 2 mai 1868. Epist. Segret. Status, *Ad Joam. Lerolle*, 18 jun. 1909; *Petr. Gerlier*,

id., ad. *Joseph. Fonsegrive*, 26 jun. 1909.

³ Cfr. SS. D. N. Pius PP. X, sermo ad *juvenes foederatos Catholicarum Universitatum*, 10 maj 1909.

§ VI. — De scandalis a Pastore coercendis eradicandisque.

SUMMAE RERUM — 474. Animadversiones praeviae. — 475. Rei difficultates et ad illas exsuperandas industriae recensentur. — 476. De abusibus qui ex superbia haberi consuescunt. — 477. De aliis qui ex malis moribus oriuntur, nimirum; a) De imaginibus ac libris; b) De malis perditisque domibus ac personis; c) De natantibus; d) De choreis; e) De malis theatris; f) De aliis quibusdam spectaculis, ubi et de Kinematographis; g) De amatorii collocutionibus; h) De luxu ac immodestia vestium. — 478. Quomodo in his devitandis omnibus cum fidelibus se habere Pastor debeat, ubi et de castitatis institutione. — 479. De cauponibus ac tabernis. — 480. De aleatoriis lusibus. — 481. De ebrietate ac alcoolismi lue. — 482. De cumulandi opum insana aviditate, ubi et de usura ac operariorum mercede debita. — 483. De cum haereticis ac infidelibus, tum christifidelium, tum Pastorum consortio. — 484. In publicis anticlericalibus demonstrationibus quae a Pastore praestanda sint. — 485. De secretis malis sectis. — 486. De malis Sodalitatibus caeterisque censuris haud ligatis, sed suspectis.

474. — Tam apte compositam, tam sanctam in terris haberi cunitatem qua, zizaniorum ad instar, aliquis vel etiam plures abusus dominicum agrum non occupent, vix contingere posse, tum ipsa Apostolorum Collegii, tum per saecula historia amplissime docet. Ita, enim, a natura conditi sumus ut bona melioraque videntes, mala peioraque insequamur, et in humanis mirari imperitorum tantum est. Quapropter si et in paroeciis quaedam scandala habeantur nemo mirabitur; immo *neesse est ut veniant*¹. Attamen ut, minori absque damno et debita cum cautela auferantur, vel saltem minuantur abusus, adeo eorum omnium qui praesunt grave conscientiae debitum est, ut Pastor ille, qui de suo grege christianae observantiae impedimenta scandalaque eradicando ac compescendo, dominicum agrum purificare contendat, nihil praeter quod pastoralis suo officio iubetur fecisse arbitrandum.

475. — Sed, ne una cum zizaniis, et bonum eradicet triticum, ne, nimirum, dum adversus malum certat, et bonum amittat, quanta cum prudentia, caritate ac opportunitate in re se habere Pastor debeat, quae de correctione agentes alibi monuimus satis superque commons-trant. Quapropter, dum ad rem inibi indigitatas normas² iterum iterumque suademus, brevitati studentes, quaedam praecipua peculiariaque eradicanda scandala heic innuemus.

476. — In primis et ante omnia, contumaciae ille spiritus qui, sub mendaci libertatis aut independentiae specie, longe lateque diffusus,

¹ Cfr. *Math.* XVIII, 7.

² Cfr. pag. 165 et seq.

nullis legibus teneri, nulli auctoritati parere, nemini subesse, sed dumtaxat sibimetipsi [idest corruptae naturae] servire vult, quam maxime a Pastoribus detestandus compescendusque est. Enimvero, hinc ille humanarum rerum praesens status, quo, omnibus fere societatis vinculis laxatis, cuncta in discrimen adducuntur. Animarum, igitur, Curatores, ut subiectionis humilitatisque spiritum [totius christianae vitae radicem ac fundamentum] in suorum fidelium cordibus restaurare et, restauratum, firmare, omnibus viribus satagant. Quem in finem, quantum sit christianae obedientiae pretium, quantave eius necessitas [utpote sine qua nec familiarum, nec societatis prosperitas incolumis consistere possit] fidelibus exponere oportebit. Ut, verborum Apostoli, omnem animam sublimioribus potestatibus subiectam esse¹ fideles memores, cunctis quos Deus ipsis praecepit, parentibus et superioribus, dominis et principibus, et legitimae omni auctoritati ceu vices Dei gerenti, obedientiam praestent, numquam satius ipsis Pastores recalebunt. Quae omnia eo magis Sanctae Ecclesiae magisterio, ac omnibus qui ut eam regant a Deo positi, de animabus fidelium arctissimam rationem reddere tenentur, praestanda sunt. Generatim, ut erga omnes, cuiuscumque generis ordinisque sint ac auctoritatem polleant, quos reverentia dignos Deus constituit, quibus eminentiorem prae aliis dignitatem potestatemque contulit, venerationis ac obsequii sensa fideles foveant curabit Pastor. Hac ratione et illud assequetur, fidelium, nempe, a versutissimis ac seducentissimis, sed et mendacibus socialismi placitis ex todo corde, aversio; contra, nimirum, hanc societatis nostrae luem, quae, una cum fide, et Potestates omnes evertere conatur².

477. — Impudicitia, ut plurimum, superbiam comitatur, qua bonos fidelium mores, tum libris, tum imaginibus ac personis coeterisque omnibus industriis funditus labefactantur ac perimuntur. Ad rem:

a) Si de imaginibus ac libris [de diariis ephemeridibusque mox dicemus] publice expositis, vel qui clanculum venduntur ac, sibillina locutione, in postrema diariorum pagina nuntiantur, agatur, tum per se, tum [et aptius] per aliquem fide dignum laicum civilis auctoritatis adiumentum sciscitare opportunum erit³; attamen, ut primum suasionum media adhibeantur, prudentia ac caritas iubent. Quibusdam in locis ad bonos tutandos mores Sodalitates habentur, quas, ut aliquid saltem in honesta vivendi ratione assequatur, adiuvere ac propagare decet.

¹ Cfr. *Roman*, XIII, 1.

² Cfr. Leo XIII, encycl. *Graves de communi et Rerum novarum*, cit.

³ Pro Italia cfr. epist. circ. Ministr.

Luzzatti, die 16 jun. 1910; *Regolamento di pubblica sicurezza*, 19 giugno 1889. a. 64. — Pro Europa cfr. *Convent. Internat. Parisiensis*, 18 april. 1910.

b) Si de malis perditisque personis ageretur quae, vita ac seductione, scandalo ac periculo fidelibus sunt, magni ac periculosi discriminis res est, in qua semper prudenter et, ut plurimum, indirecta tantum ratione Pastor se habebit. Quapropter:

I. Si de publicis scandali domibus sit quaestio, ut, in primis et ante omnia, civiles quae ad rem faciunt leges adamussim serventur, nitendum est. Quamvis, enim, fere apud omnes Gentes tantae tolerantismi perversitati inserviat ut hae corruptionis domus potiusquam simpliciter tolerari, vix non adprobari videantur, attamen in adiunctis ac universa agendi ratione quaedam normae ubique decernuntur, quibus, aliquatenus saltem, scandala minuuntur. Ad rem uniuscuiusque Gentis leges consulantur¹.

II. Si de personis quae turpissimo hoc commercio privatim inserviunt sermo sit, indirecto modo, in paroeciae domibus difficilem, [ne dicam impossibile] illis residentiam reddere perutile erit. Quapropter si aedium possessores morigerati ac christiani sint, eos de re edocere ut provideant iuvabit, et coeterorum ad hoc inquilinorum auxilium sibi adsciscere peropportunum. — Sed, quamvis nil Divinae Gratiae impossibile, attamen harum personarum conversionem perarduam semper manere persuasum Pastor habeat; earum, enim, ad vomitum, nullo negotio, redire semper est; mendaces, fures, contumaces, versutissimae vitiosaeque cum sint, honestatis iter difficile calcare valent. Attamen cum, interdum, miserrimi sui status condicionem perspicue ipsae dignoscant [quo fere in desperationis baratrum incidunt], ut ad bonam se recipiant frugem, hoc uti momento, interdum, iuvabit².

III. Quoad publicos concubenarios quae a Pastore agenda sint res ipsa demonstrat, quae et gravissimas hoc in negotio difficultates abundantissime ostendit. Attamen haud dimittendus est animus, sed cum Ordinario re collata, ab eo instructiones Pastor accipiat, quas, tamen, semper perquam prudenter, ad praxim deducet. Per saepe vero, potiusquam de concubinato tollendo, de difficultatibus quae coram publica opinione in matrimonio celebrando timentur, quaestio est. Quae si Pastor suspicaretur, ut, in quantum fieri potest, secreto res tota componatur ipsis suadeat, et ad hoc suam pastorem operam ultro libenterque polliceatur. Nec quae ad concubinatus tollendos Sodalitates habentur [*Societas S. Francisci Regis*] Pastor negliget, quum haud raro quod ipse assequi nequit, facilius ac liberior obtineant ipsae.

¹ Pro Italia cfr. *Regolamento di pubblica sicurezza*, 30 jun. 1889.

² Cfr. Frassinetti, *Op. cit.*, Par. I, Cap. V.

IV. In magnis praesertim civitatibus et iniquissimum illud in moribus est quo, dum in mediis societatis coetibus adeo de sponsa turpe lucrum vir agit ut dives eius amasius, omnino libere ac fere continuo, etiam publice, illam frequentare sinat; in inferioribus vero ordinibus [minis ac verberibus] ad publicam prostitutionem eam dimittat, quo turpissimi commercii gratia, saepe, otio, ebrietatibus, ac impudiciis, agere vitam viro liceat. Res numquam dolenda satis, cui [in quantum licet et perquam caute] obsistere oportet, quin tamen nimiae emendationis illusioni locum sit. Si, enim, postremo in adiuncto civiles quoque leges [gravissimis statutis poenis] adjuvant, primo vero minime, et scienti, permittenti, immo et gaudenti marito, omnia licent. Quae iniquissima innuisse tantum erit satis.

c) Ut natantes modestiam in omnibus servant advigilabit Pastor, in quo et civiles leges [ut plurimum] ei praesto esse meminerit.

d) Choroas publicas, ut irreligionis incontinentiaeque miserandas palaestras, sedulo insectetur Pastor, et ne ipsis natos interesse Parentes permittant, occasione data, privatim, sed fortiter admonebit. Ad hoc *Filiarum Mariae* Consociationem, cum conditione se a choreis abstinere constituere, juvabit plurimum¹ Communiter grave inest periculum in iis choreis, ut aiunt, vividis, in quibus saltator medio mulieris corpori arcto adhaeret amplexu. Periculum illud si modestia desit in vestibus, et eo magis, si personatae ac praesertim publicae et promiscuae habeantur choreae [*balli, bals, balls*] quam maxime augetur².

e) In hodierna theatra, immoralitatis irreligionisque fontes, invehat Pastor, et ut saltem antequam Parentes suas filias inibi deducant, scenicam actionem dignoscant, ipsis suadeat. Ut omnibus in temporibus, ita et in nostris quasdam moribus aptas haberi posse repraesentationes [quibus licite et ullo absque periculo fideles itersint] fieri potest; quod tamen tam raro contingit, ut theatra omnia in una damnationis sententia conglobare haud nimium censi debeat. — Ceterum nec scenicas actiones tantum, sed et populi concursus eiusque genus spectandum est, ne quae ex primis haud per se pertimescenda sunt pericula, ex alia parte habeantur.

f) Spectacula, tandem, omnia tum publice, tum privatim habita, in quibus puellarum puerorumque virtutem in discrimine quoquomodo adduci posse Parentes suspicantur, sedulo devitentur. Tum privatim, tum publice monuimus; cum, temporibus praesertim nostris,

¹ Deliberat. *Episcop. Longobard.*, 1898.

² Cfr. S. Alphons. III, 429.

illud invaluisse scimus, quo in familiis quoque [sub oblectamenti specie] quasdam tum scenicas, tum [si ita loqui fas est] kinematographicas actiones, christianis oculis auribusque infensissimas, nullo negotio, saepe nimis exhibere in moribus sit. — Quoad vero publicas kinematographicas, nostris temporibus quam maxime invalescentes repraesentationes, quae de theatris diximus, ingeminanda fere sunt. Hanc, enim, perpulchram mirandamque inventionem et ad bonos corrumpendos mores in usum venisse, omnibus in comperto est¹.

g) Assiduam domus custodiam puellis suadeat Pastor, ubi sub oculata Parentum vigilantia, si non omnes, plures saltem innocentiae scopulos devitabunt. Attamen, saepe nimis, quae ab extraneis in re pertimescenda possunt detrimenta, et in familiis haud desunt, quo fit ut in servos, famulos ac famulas, institutores ac [in maioris census familiis praesertim] Institutrices, assiduam perennemque cautionem exercere Parentes debeant. Iniquarum sectarum asseclae, ad iuventutis corrumpendos mores, his postremis [peculiari ratione] uti, pro certo Pastores teneant. — Parentum, insuper, incuria qui suis liberis natu maioribus promiscuae conversationis plenam licentiam concedentes, adversus intemperate pudicitiae virtutem pericula non satis praemuniunt, ac avitam christianae Gentis gloriam pessundant, numquam satis deploranda videtur. Quapropter ut liberos in omni verecundia nutriant, a vespertinis, in primis, conventiculis promiscuis, item a scenicorum ac chorearum ludis arceant, praematuram futurorum sponso designationem inhibeat, atque [memores mandatorum Domini, qui filiorum animas e Parentum manu repetiturus est] sanctae pudicitiae amorem eorum in cordibus firment foveantque, perseveranter seduloque ipsis Pastor suadeat.

h) Amatorias conversationes illas, quae, saepe nimis, sub ineundi matrimonii praetextu [Parentibus ac tutoribus insciis] foventur, ac quibus [prava ac perversa concupiscentia] in matrimonio ipso divinae praecluduntur benedictiones, et potiusquam ad nuptias, ad exitia, saltem ad maximam coniugii infelicitatem perducunt, numquam satis increpabit Pastor, numquam satius suo ex grege eradicare studebit. Nec hoc dicimus quasi futuros inter sponsos quascumque relationes vetantes, sed illas tantum maximi periculi visitationes, quae privato in loco, ac solus cum sola, per plures interdum annos habentur,

¹ Cfr. decret. Vicar. Urb. [15 jul. 1909] quo, ex mandato SSmi, utroque clero saeculari et regulari kynematographa inibi

frequentanti canonicas poenas necnon suspensionem a divinis minantur. — Cfr. Deliberat. *Episcop. Longobard.*, 1910.

in quibus spiritualia nuperrime recolta damna invalescunt, damnamus. Ne, igitur, matrimonium a sponsalibus diutius nimis distet, neque privato in loco, absque sponsae matre vel alia ex familiae bene morigerata persona hae conversationes habeantur, fidelibus suadeat Parochus, qui si diligenter se habebit, dum plurimam confessioni materiam adimit, ac divinas in nupturientes benedictiones attraheret, ne puellas crudeliter delusas [imminuto aut etiam amisso honore] turpiter derelinquentur, cavebit.

2) Adversus vestium indecentiam, seu talem pudicitiam quem maiorem impudicitiam dixeris, pro viribus increpabit Pastor, quo dum bonis fidelium moribus consulatur, et nimium luxum ab ipsis arcebit. Inutilibus, enim, sese gravari expensis, supra suam conditionem sese efferre, liberorum educationi necessaria media subtrahere [immo eorum procreationem impedire], creditorum jura parvipendere, domesticam pacem turbare, castimoniam labefactare, et matrimonii felicitatem impedire, mulierum luxum consuescere, in comperto omnibus est.

478. — At in his omnibus tum publice, tum privatim fidelibus inculcandis:

I. Assiduam Pastori suadere cautelam vix necessarium putamus; haec, enim, si desit, dum eorum offenderet aures, et bonum proprium nomen collabefactaret. Parce, igitur, indirecte ac semper perquam modeste quae vitanda sunt inculcanda, et servanda suadenda, et, ut plurimum, pulchram castitatis virtutem dilaudando, tanto periculo subveniatur.

II. In re, permagni momenti quaestionem innuere nostrum est, scilicet, an, ad efformandos juvenes et ad majora mala praecavenda, quae, ut plurimum, illis absconduntur, patefacienda, e contrario, sint. At affirmanti opinioni Körnig¹, Forel² aliorumque eiusdem scholae sectatores haud subscribendum ducimus; sed potius ex toto corde, illae sententiae neganti Franz³, Damian⁴, Ernst⁵, Förster⁶, Surbled⁷ aliorumque adnuendum putamus. Pro certo illa quam puritatis institutionem a Fonsagrive⁸ compellare placuit, et a juvenibus opportuno in tempore, a patre vel matre prudenter facienda fere neces-

¹ Hygiene der Keuscheit.

² Die sexuelle Frage.

³ Die Sexuelle Aufklärung d. Jugend [in Stimmen aus Maria-Laak, 1906, LXX, H. 1].

⁴ Eine aktuelle Frage [in Theolog.-praktisch. Quartalschr. 59, H. IV].

⁵ La formation de la chasteté. Paris, 1907.

⁶ Sexuaetik und Sexualpädagogik, Kempten, 1907.

⁷ Questions controverses autour du mariage. Paris, 1907.

⁸ L'éducation de la pureté, Paris, 1907.

sarium est; at si de praecoci eruditione sermo sit, omnino impedienda. Enimvero omnia quae ab hac ignorantia damna pertimesci possunt, ea scientia augescunt, et quae ab hac notitia auspicantur adjumenta, minime [experientia teste] comparantur. — Omni vero in casu, anatomica ac physiologica eruditio illa quam primae sententiae defensores suadent, nullatenus opus est. Pastores, igitur, hoc in negotio cautissime se gerant et, ut plurimum, indirecta ratione, peculiaribus juvenum necessitatibus subveniant, quidquid devitando quod eorum corporis animaeque infandam ruinam efficere potest¹. Intelligenti pauca! — Ceterum [res numquam dolenda satis] complurimis in locis, diebus hisce nostris in quibus morum licentia adeo invaluit, haec quaestio vix non otiosa videbitur.

479. — Cauponum ac tabernarum omnium frequentatio, generaliter modo, fidelibus dissuadeatur, et huius consilii rationes in comperto sunt.

480. — Aleatorii ludi omnes, necnon hi qui, quamvis tales non sint, attamen altercationibus ac non semper innocuis rixis, occasionem praetextusque praebent, dissuadeantur fideles, quo dum haec devitantur, et pecuniae quoque miserrimam dispersionem cavebunt. Si, enim, quae in aleatoriis dissipantur ludis, familiae impenderentur, quanta lacrimae tergerentur, quantis, profecto, moeroribus angustiisque mederetur! — Sed, nostris praesertim temporibus, illud quoque invaluit, quorundam, nimirum, circulatorum [clubs] frequentatio, in quibus hinc pater, inde filii familias, domo deserta, ad intempestam noctem, lusus producunt, alea res suas committunt, liberiores cum sociis sermones miscent, ephemeridum quarumcunque lectioni vacant, nec pauca, nec minima religionem fidemque laedentia auscultant, ruinamque salutis suae et domesticae rei [caeca illectatione capti] luctuose parant.

481. — Quorundam intemperantiae qui in spirituosus insumendis potibus [vino, alcool, birra] modum excedentes, famae, fortunae animaeque suae bona prodigant, necessaria vitae media familiae suae subtrahunt, scandalum aliis praebent, educationem prolis impie negligunt, ac ad alienatorum domus, miserrime, festinant, condolendum quam maxime est!². Christianam temperantiam animarum Pastores his inculcent, et ad eius praxim, sensim sine sensu, eos deducant; Temperantiae Sodalitates [a Summo Pontifice indulgentiis ditatas] si opportunum videbitur, instituant promoveantque, et ne fidelium corda crapula et ebrietate, forte

¹ Cfr. Gemelli, Non moechaberis, Florentiae, 1911.

² Cfr. Antonelli, Op. cit. Cap. V; Ja-

quet: L'Alcoolisme, Paris, 1897; Berge-
ret, De l'abus des boissons alcooliques,
Paris, 1870.